UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Suspiria S. Francisci Xaverii, sive oratio ejus O Deus ergo amore, Rhitmicè orari potest hoc modo.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-54780

Visual Library

bit: *A tua ergo immenſa bonitate ac clementia per JESU Chriſti ſanguinem*, tanquam fortiſſimum, gratiam petitam, mihi dandi motivum; *peto ſuppliciter*: *Ut hoc holocauſtum* [vi cujus nihil prorſus mihi relinquo, per paupertatem bonis omnibus externis, per caſtitatem corpori ac carni, per obedientiam judicio proprio, propriæque voluntati emoriens] *in odorem ſuavitatis* (ſicut olim Sacrificia ac holocauſta tibi à SS. Patriarchis oblata) *admittere digneris* in unione holocauſti cruenti, quod Dominus Jeſus in Cruce obtulit, & incruenti, quod indies in Miſſa tibi offertur: *Et ut largitus es ad hoc deſiderandum & offerendum* ex pura erga me indignum miſericordia & amore. *Sic etiam ad explendum*, in quo cardo æternæ felicitatis meæ vertitur. *Gratiam uberem ſive congruam* (præſervando ab iis occaſionibus, in quibus me fore fœdifragum prævidiſti, & donando gratias in illis circumſtantiis, in quibus me conſenſurum prævidiſti) *largiaris, Amen.*

Suſpiria S. Franciſci Xaverii, ſive oratio ejus O Deus ego amo te, *Rhitmicè orari poteſt hoc modo.*

Ut te colam Deus meus - Non me movet terror tuæ
Manus, vibrantis fulmina. Nec horror ignis tartari
Urentis æternum reos. - Tu me Deus per te moves
Tu Chriſte transfixus trahis, - Crux urget, incendit cruor
JEſu tuis plagis fluens. - Si ceſſet inferni metus,
Tollatur & ſpes gloriæ. - Ego tamen mi conditor
Te dotibus captus tuis, - Te numen adorans meum

Subli-

Sublime; ſanctum providum - Amore gratis proſequar.
Te Chriſte te Fili Dei - Te Virgo, proles virginis
Manſuete, fortis, innocens - Dignate pro nobis mori
Gratis merentem diligam.

Oratio alia S. Xaverii.

ÆTerne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium, hæreticorum & peccatorum procreatas; eaſque ad imaginem & ſimilitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipſis infernus impletur. Memento JEſum Filium tuum pro illarum ſalute atrociſſimam ſubiiſſe necem. Noli quæſo Domine ultra permittere; ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur: ſed precibus ſanctorum electorum tuorum, & Eccleſiæ ſanctiſſimæ Sponſæ ejusdem Filii tui placatus, & oblitus idololatriæ, obſtinatæ hæreſis, & deterrimæ ingratitudinis eorum effice; ut & ipſi aliquando agnoſcant, timeant, ament ac revereantur, quem miſiſti D. N. JEſum Chriſtum, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus: cui ſit gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Poſſunt etiam decerpi ex Miſſali (quia, ut ſæpè dico, magna eſt fiducia ponenda in communibus toti Eccleſiæ precibus) Collectæ variæ, v.g.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis. Te ſupplices exoramus, ut pro